

www.e-rara.ch

Biblia Veteris ac Novi Testamenti

Pagnini, Sante

Basileae, 1564

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-1502>

Liber Iudith. Ioudeith

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

norum centum quinquaginta octo, quem filius honorificè sepeliuit.

- 14 Quùmque Anna diè suum obiisset, eam in sepulchro patris sui condidit: ipse autem vnà cum vxore ac liberis ad Raguelum socerum migravit.
- D 15 Et cum honore consenuit, & soceros suos sepeliuit gloriose, eorùmque facultates cum

bonis patris hæreditare obtinuit.

- 16 Ipse etiam Ecbatanis quæ est vrbs Mediæ, mortuus est, annum agens centesimum vicesimumseptimum.
- 17 Audiuit autem priusquam moreretur, interitum Niniues, quæ à Nabuchodonosore & Assuero capta est: atque ante obitum suum super ea gauisus est.

Liber Iudith. Iudith.

NOVA EX GRÆCO TRALATIO.

CAPVT I.

Arphaxad contra Nabuchodonosor pugnant, vincitur.



1 NNO duodecimo regni Nabuchodonosoris qui in vrbe amplissima Niniue regnauit, Arphaxad regnum Medorum obtinebat Ecbatanis.

2 Qua in vrbe muros extruxit in circuitu ex cæcis lapidibus ternos cubitos latis, fenestrasque longis: murus autem altitudinem habebat septuaginta cubitorum, quinquaginta verò cubitorum latitudinem.

- B 3 Turres præterea portis vrbs imposuit, quarum altitudo ad centum cubitos erecta erat, & latitudo in sexaginta fundata patebat.

4 Portas autem eius extruxerat septuagenas altas cubitos, latas verò quadragenas, ad educendas potentissimas suas copias, aciesque pedestres instruendas.

5 Huic Arphaxadi Nabuchodonosor diebus illis bellum intulit in campo illo spatioso qui est in finibus Ragau.

6 Porro se cum eo confociarunt omnes montanæ regionis incolæ, & qui Euphraten, Tigrin, Hydaspem & campum Arioch regis Elymæorum accolebant, multæque gentes nationis Gelod suas ad pugnandum copias coniunxerunt.

C 7 Misit autem Nabuchodonosor rex Assyriorum ad omnes incolas Persidis, omnèsque qui tractum tenebant Occidentalem, ad habitatores Ciliciæ, Damasci, Libani & Antilibani, atque ad omnes qui ad maritimam oram habitabant:

8 Ad eos præterea, qui Carmelum, & Galaad, & superiorem Galilæam, larùmque agrum Efdrelon incolebant.

D 9 Item ad omnes habitantes in Samaria eiusque vrbus, & trans Iordanem Hierosolymã vsque, & Bethauen, & Chellus, & Cades, vsque ad fluuium Ægypti, ac Taphnè & Ramessè, omnemque terram Gesem incolentes:

10 Ad eos vsque qui ultra Tanim Memphimque sunt, ad omnes denique incolas Ægypti vsque ad fines Æthiopiæ pertinentes.

11 Sed omnes istarum terrarum habitatores mandatum Nabuchodonosoris Assyriorum regis spreuerunt: neque cum eo ad societatem belli sunt profecti, quò non metuerent illum, sed quasi virum vnum despicerent: ac legatos eius re infecta ignominiosè à suo conspectu remiserunt.

12 Itaque vehementer Nabuchodonosor aduersus omnes istos populos ira exarsit: ac per thronum regnumque suum iurauit, certò se omnes Ciliciæ, Damasci, Syriæque fines vlturum, gladiòque suo interempturum omnes incolas terræ Moabiticæ, filios Ammon, Iudæos omnes, atque Ægyptios, donec ad terminos duorum marium peruenisset.

13 Anno autem decimo septimo aciem cum omnibus suis copiis aduersus Arphaxadem instruxit, atque eum bello superauit, omnemque potentiam, equitatum, omnèsque eius curus euertit:

14 Atque vrbus eius potitus, vsque ad Ecbatana peruenit: captisque vrbs turribus plateisque peruasatis, decus eius ad opprobrium redegit.

15 Ipsum autem Arphaxadem in montibus Ragau assequutus, iaculis confixit suis, eumque profusus eo die perdidit.

16 His rebus gestis ipse cum omni turba suorum, & maxima bellicosorum virorum multitudine Niniuen reuersus, otia ibi conuiuiaque cum exercitu per dies centum & viginti agitauit.

CAPVT II.

Nabuchodonosor totum orbem sibi subiecti per Holophernem mandat.

1 Porro anno decimo octauo, die primi mensis vicesima secunda, in domo Nabuchodonosoris Assyriorum regis habitus est sermo, vt totam terram, quemadmodum loquutus fuerat, vlsceretur.

2 Itaque omnes suos ministros proceresque conuocauit, arcanumque consilij sui cum eis contulit, omnemque terræ malitiam ore suo repetiuit.

3 Illi autem censuerunt omnes eos qui imperio eius nõ paruissent, planè exterminandos esse.

4 Finita consultatione Nabuchodonosor rex Assyriorum Holophernè accersit summum exercitus ipsius imperatorem, potestatemque ab eo secundum: atque huiuscemodi mandata ei dedit.

5 Hæc dicit magnus ille Rex totius terræ dominus, Ecce, tu à conspectu meo profectus, assumes tibi viros viribus suis confidentes, pedum ad centum viginti millia, equorum verò duodecim millia, vnà cum equitibus. expeditionemque suscepta inuades omnes populos Occidentales, quòd imperio non paruerint meo. Illis denuntiabis vt aquas & terras præparent mihi, qui in furore meo sim eos inuasurus, omnemque solum terræ pedibus copiarum mearum operturus, quibus ipsos daturus sim

diripiendos: Ita vt faucij valles ac torrentes impleant, effusaque redundant præ cadaueribus ipsorum flumina: tum autem me captiuos ex ipsis ad vltimas quasque terras abducturum. Tu autem prægressus, mihi præoccupabis omnes eorū fines, eosque tibi deditos mihi in diem redargutionis asseruabis.

- B** 6 Qui verò rebelles erunt, eis non parceret oculus tuus, quominus eos in tota terra ad cædem direptionemque exponas. Nam ita viam ego & potentia regni mei, vt ea que sum loquutus manu mea perficiam: tu verò caue vel vnum mādatorū domini tui prætereas, sed ea quem admodum præcepi tibi, summa cura cōficias, neque moram in iis exequendis vllam interponas.
- 7 Tum Holophernes à conspectu domini sui egressus, omnes principes ac duces, copiarum que Assyriacarum præfectos conuocauit. Delectum virorum, vt à domino suo mandatum acceperat, in expeditionem habuit ad ceterum viginti millia, equitumque sagittariorum ad millia duodecim.
- 8 Quos quidem omnes, sicut copiarum militares disponi solent, instruxit. camelorum autem atque asinorum ad gestandas sarcinas maximum numerum accepit, ad eamque expeditionem oues ac boues, caprasque innumerabiles:
- 9 Commeatum verò singulis viris copiose comparatum
- 10 Cum auro & argento ex domo regia quam plurimo.
- C** 11 Ita egressus cum omnibus copiis in viam se dedit, vt regem Nabuchodonosorem prægressus, omne solum terrarum Occidentalium curribus & equitibus, delectisque peditibus suis operiret. Profectum est autem vnà conspicuū vulgus frequentissimum instar locustarum & arenæ quæ est in terra. neque enim erat multitudo eius numerabilis.
- 12 Profectus Ninive, trium dierum itinere peruenit in planitiem campi Beethleth: quo ex loco castra mouit ad montem à sinistra Ciliciæ superioris situm. Indèque asportatis omnibus copiis suis pedestribus atque equestribus, cum curribus in montanam regionem perrexit.
- 13 Et Phud ac Lud excidit, omnesque populos Rases & Ismael versus desertum ad Austrinum Chellæorum latus habitantes peruastauit.
- D** 14 Euphrate deinde traiecto, per Mesopotamiam transiit: atque omnes vrbes excelsas ad torrentem Arbonai sitas euertit, donec ad mare vsque perueniret.
- 15 Fines Ciliciæ occupauit, omnesque sibi resistentes concidit. Porro autem peruastit vsque ad fines Iapheth ac partes Austrinas, regionemque Arabiæ.
- 16 Filiisque Madian obeundo, tabernacula ipsorum incendit omnia, & casas peruastauit.
- 17 Deinde descendit in campos Damasci tempore messis triticeæ, ignique omnibus agris eius illato, greges & armenta absumpsit, vrbes eius deprædatus, & popularis agros, iuuenes eius acie gladij omnes concidit.
- 18 Itaque timor ac terror iniectus est iis populis qui oram incolebant maritimam, Sidoniis ac Tyriis: atque item in omnibus incolis Sur, Ocinae, & Iemnaan: ciuesque Azoti & Ascalonis illum vehementer pertimuerunt.

Reges se vltro Holopherni dedunt: attamen cunctarum regionum aras subuertit.

- 1 **M**iseruntque legatos qui ab eo pacem huiusmodi verbis peterent,
- 2 Ecce nos serui Nabuchodonosoris regis magni coram te adsumus, vt agas nobiscum quem admodum tibi placuerit.
- 3 Ecce domicilia nostra, totusque ager, & campus frumentarius, tum greges & armenta, omniaque septa stabulorum nostrorum sunt in potestate tua, vt quod libuerit tibi, facias: ecce vrbes etiam nostre, earumque ciues serui sunt tui, veniens ita te geras erga illos, vt commodum tibi visum fuerit.
- 4 Sint omnia nostra sub lege tua.
- 5 Nos etiam & filij nostri, serui tui sumus.
- 6 Veni nobis pacificus dominus, & utere seruitio nostro, sicut placuerit tibi.
- 7 Et venerunt viri ad Holophernem, atque hæc ei mandata exposuerunt.
- 8 Ille verò cum copiis suis ad oram maritimam descendit, vrbes excelsas præfidiis munivit: atque ad belli societatem viros delectos ex ipsis accepit.
- 9 Tum illi quidem, totaque regio coterminata
- 10 Cum coronis, & choreis, tympanisque illi excipere.
- 11 Ipse verò deuastare omnes fines eorum, locosque succidere.
- 12 Erat enim decretum exterminare omnes terræ deos,
- 13 Vt omnes gentes ipsum Nabuchodonosorem solum colerent, omnesque linguæ ac nationes deum ipsum inuocarent.
- D** 14 Venit autem in conspectum Esdraelon prope Dotaam, quæ est exaduersum ei loco qui alterum maiorem in Iudæam aditum habet.
- 15 Et inter Gaba ac Scythopolin castrametatus, totum ibi mensem moratus est, dum vasa copiarum suarum omnia colligeret.

1 Filij Israel Holophernem timentes, hortatu Eliacim Dominum implorant. 8 Oratio continua in tribulatione cum ieiunio. 12 Oratione victus Amalec.

- 1 **F**ilij autem Israel Iudæam incolentes, audiuerunt que Holophernes summus imperator Nabuchodonosoris Assyriorum regis fecerat Gentibus, quemadmodum omnia illorum templa deprædatus, in nihilum redigisset.
- 2 Itaque vehementer ab eo timuerunt, & propter Hierusalem, templumque Domini Dei sui perturbati sunt. recens enim redierant è captiuitate, & nuper populus vniversus conuentum è Iudæa celebrauerat, vasaque simul & altare vnà cum templo fuerant à profanatione expiata.
- 3 Ergo omnes in fines ac vicos Samariæ, & Bethoron, & Belmen, & Iericho, & Choba, atque Esora, vallèque Salem dimiserunt:
- 4 Qui excelsa omnia montium iuga præoccuparent, vicos ibi muris includerent, frumentumque in belli apparatus recondiderent. nam messis recens in agris ipsorum facta erat.
- 5 Porro Ioacim pontifex, qui eo tempore Hierosolymis erat, scripsit ad incolas Betulæ, ac Betmesthæ, que exaduersum Esdrael sita est, in conspectu capi oppido Dothaim propinqui,
- 6 iubens

- 6 Iubens vt infiderent montium ascensus, quibus introitus in Iudæam pateret, ac facile esset illos subeuntes aditu prohibere ea trāsitus angustia, qua viri ad summum bini adire possent.
- 7 Fecerunt igitur filij Israel, quemadmodum constituerat ipsis summus Sacerdos Ioachim, senatūque vniuersi populi Israel, qui Hierosolymæ confederant.
- 8 Omnes autem viri Israel ad Deum magna contentione clamauerunt, atque animas suas vehementer humiliarunt:
- 9 Vnāque cum vxoribus, liberis, iumentis, inquilinis omnib⁹, mercenariis, mācipiisq; suis lumbos suos ciliciis accingere.
- C** 10 Omnes viri ac mulieres vnā cum liberis, cinesque Hierosolymitani ante templum prostrati, conspersis puluere capitibus, in conspectu Domini cilicia protēdere, tum etiā ipsum altare cingere cilicio, atque vnanimiter vehementerque Deum implorare, ne direptioni liberos suos aut vxores prædæ, aut excidio vrbes suas hæreditarias, sacræ profanationi & opprobrio cum irrisione Gentium coniuncto exponeret. Exaudiuit itaque Deus precatorem eorum, afflictionemque respexit. porro populus per totam Iudæam ac Hierosolymam complures dies ante sanctuarium Omnipotentis Domini ieiunia suscipiebat.
- 11 Tūc Eliacim sacerdos Domini magnus circuiuit omnem Israel, alloquutusq; est eos,
- 12 Dicens, Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in ieiunijs & orationibus in conspectu Domini.
- EXO. 17. d. 12** 13 Memores estote Moysi serui Domini, qui Amalec confidentem in virtute sua, & in potentia sua, & in exercitu suo, & in clypeis suis, & in curribus suis, & in equitibus suis, nō ferro pugnādo, sed precibus sanctis orādo deiecit.
- 14 Sic erunt vniuersi hostes Israel, si perseueraueritis in hoc opere quod cœpistis.
- 15 Ad hanc igitur exhortationem eius deprecantes Dominum, remanebant in conspectu Domini.
- 16 Ioachim autem summus Pontifex, atque omnes qui coram Domino stabant Sacerdotes, cæteri que qui Domino ministrabant, ciliciis circa lumbos suos accinctis, holocaustum illud perenne vnā cum precibus voluntariisq; populi donariis offerebant.
- 17 Mitrisque suis puluere conspersis, Dominū toto animi studio implorabant, vt totam domum Israelis benigne respiceret.
- CAPVT V.
- 3 Holophernes interrogat de progenie Iudeorum. 5 Achior narrat Holopherni omnia quæ Deus egerit cum populo Israelitico. 29 Blasphemia.
- 1 **N**Vntiatum autem est Holopherni summo imperatori exercitus Assyriorum filios Israel se ad bellum comparare, ac montiū transitus interclusisse, eorumque iuga muniuisse omnia, atque obstacula campis opposuisse.
- 2 Itaq; vehementi permotus animi indignatione, omnes Moabitarum principes ducēsque Ammonitarum, præfectosque oræ maritimæ ad se vocauit,
- 3 Atque dixit eis, Significate iam mihi, viri Chananæi, quis sit populus iste mōtanam regionem insidens, quas habiter vrbes, quantus copiarum eius numerus, in quo potentia ipsius virēsque consistant, quisnam ei Rex aut militiae dux est constitutus:
- 4 Aut quo moti consilio, præter cæteros populos Occidentales mihi obuiam non processerunt.
- 5 Tum Achior dux omnium Ammonitarum **Infra 11. b. 7** ei respondit, Rem igitur dominus meus ex ore serui sui accipiat. etenim vera tibi narrabo de populo hoc montanam istam regionem incolente: neque ore serui tui mendacium proferetur.
- 6 Populus hic à Chaldæis est oriundus.
- 7 Primum peregrinati sunt in Mesopotamia, quod deos patrum suorum, qui in terra Chaldæorum colebantur, sequi nollent. **Gene. 11. d. 31**
- 8 Itaque quum à via patrum suorum deflexissent, Deum cæli, Deum *inquam* sibi notum adorarunt: eiecitque à conspectu deorum illorum in Mesopotamiam profugerunt, vbi multis diebus peregrini extiterūt. Deus autem ipsorum iussit eos exire de loco peregrinationis suæ, atque in terram Chanaan proficisci: vbi habitauerunt, auro & argento, magnāq; iumentorum copia multiplicati. **Gen. 12. d. 8**
- 9 Quum autem fames totam terram Chanaā occupasset, descenderunt in Ægyptum, vbi habitauerunt donec reuerterentur. In eam autem multitudinem creuerunt, vt eorum genus esset innumerabile. **Ge. 41. g. 54**
- B** 10 Tum aduersus eos insurrexit rex Ægypti, eosque dolo circumuentos, labore atque lateritio opere afflixit, in seruitutemq; redegit.
- 11 Sed quum illi Deum implorassent suum, illique totā Ægypti terram plagis insanabilibus percussisset: Ægyptij eos à conspectu suo eiecerunt. **Exod. 14. c. 24**
- 12 Tum verò Deus Mare rubrum exiccavit coram eis.
- 13 Atque eos ad montem Sina & Cades Barne deduxit, expulitq; eos qui desertū incolebāt.
- 14 Ita in terra Amorrhæorum habitauerunt, atq; omnibus incolis Efebon vi ipsorum profligatis, Iordanem transgressi, omnem montanam regionem possederunt. **Exod. 16. d. 2**
- 15 *Illic fontes amari obdulcati sunt eis ad bibendum, & per annos quadraginta annonam de cælo consequuti sunt.* **C** **Exo. 15. d. 25,**
- 16 Vbicunq; ingressi sunt, sine arcu & sagitta, & absq; scuto & gladio, Deus eorum pugnavit pro eis, & uicit. **Exo. 16. g. 35**
- 17 Et non fuit qui insultaret populo isti, nisi quando recessit à cultu Domini Dei sui.
- 18 Quotiescunq; autem præter ipsunt Deum suum, alterum coluerunt, dati sunt in prædam, & in gladium, & in opprobrium.
- 19 Quotiescunq; autem poenituerunt se recessisse à cultura Dei sui, dedit eis Deus cæli uirtutem resistendi.
- 20 A conspectu autem suo Chananæū, & Pheræzæum, & Iebusæum, & Sichein, omnesque Gergesæos eiecerunt, terramque istam longo tempore tenuerunt. **Iosue 12. c. 28**
- 21 Et quandiu quidem in Deum non peccarūt suum, bona illis affuerūt, quod Deus qui odit iniquitatem, cum ipsis esset.
- 22 Vbi verò à via quam illis præscripserat deflexerunt, multis bellis valde vehementer attriti sunt, atq; in alienam terram abducti: tum etiam templum Dei ipsorum, solo æquatum est, vrbesque eorum ab hostibus occupatæ. **Iudic. 2. b. 18,**
Exo. 3. b. 9
4. Reg. 25. d. 2

1. Esdr. 1. d. 1
D 23 Nunc autem ad Deum suum conuersi, à dispersione qua disiecti fuerant, redierunt: & Hierosolyma, vbi sanctuarium est ipsorum, recuperata, in montana regione quæ fuerat deserta, denuo conscenderunt.

24 Nunc ergo dominator domine, num aliquis in hoc populo sit error quo in Deum peccet suum, exploremus. hoc enim erit ei offensio- ni, & ascendemus, eumque debellabimus.

25 Si verò nulla est iniquitas in ista gente, prætereat dominus meus, ne Domino pro ea propugnante, ac Deo ipsorum eis fauente, nos in opprobrium apud omnes gentes incurramus.

26 Quum autem Achior finem loquendi huiusmodi verba fecisset, accidit vt vnuerfus qui tabernaculum Holophernis circumstabat, populus murmuraret:

27 Et proceres Holophernis, atque omnes maritimam oram terramque Moab incolentes, eum concidendum esse clamarent. Neque enim aiebant, cõspectum filiorum Israel per- timescemus, quum ecce populus sit in quo nec potentia vlla sit, neque vires ad aciem validam sustinendam.

28 Quare ascendamus, & vnuerfo exercitui tuo, domine Holophernes, deuorandi tradentur.

29 Vt sciat omnis gens quoniã Nabuchodonosor deus terre est, & præter ipsum alius non est.

CAPVT VI.

7 Iratus Holophernes iubet Achio- rem tradi Iudæis, quod Deum confessus esset. **9** Achior à seruis ligatus relinquitur sub radice montis. **10** Soluitur à Iudæis, benignèq; ab eis suscipitur. **15** Oratio Israelis.

Postquam ergo tumultus hominum confessum circumstantium sedatus est, Holophernes summus imperator exercitus Assyriorum coram omni alienigenarum populo, ac Moabitibus, conductitiisque Ephraim militibus Achio- rem ita alloquutus est,

Supr. 5. d. 5
2 Quis tandem es tu Achior, qui prophetam egeris inter nos hodie, & genus Hierosolymitanum bello inuictum esse dixeris, quod Deus ipsius illud defendat? aut quis est Deus præter Nabuchodonosorem?

Infr. 13. d. 28
3 Hic missa potentia sua, illos de solo terræ exterminabit, nec eos liberabit Deus ipsorum: sed nos eius serui perinde ac virum vnum, eos delebimus: neq; illi vim equorum nostrorum sustinere poterunt.

4 His enim nos eos proculcabit, eorumque montes sanguine ipsorum redundabunt, & campi cadaueribus ipsorum implebuntur, nec vestigio pedum suorum conspectum nostrum sustinebunt. Vt quibus Nabuchodonosor rex, totiusque terræ dominus pereundum esse dixerit. dixit enim nullum dictorum suorum inane fore.

B **5** Tu verò Achior mercenarie Ammonitarum, qui sermones istos in die iniustitiæ tuæ protulisti, ex hoc iam inde die faciem meam non videbis, donec profectorum ex Ægypto istorum genus vltus fuero. tum ferrum exercitus mei populisque mihi seruiens tua perfodiet latera, & cades inter cæcos illos, quum eos in fugam conuertero.

6 Serui autem mei te in montanam regionem abductum in aliqua vrbiū quæ sunt in ascensu, collocabunt: neque antè interibis, quam

vnà cum illis extermineris. Quod si spem habes animo conceptam, non fore vt illi capiantur, ne vultus concidat tuus. Dixi: neq; vllum dictorum meorum interciderit.

7 Imperauit ergo Holophernes seruis suis quæ tabernaculo suo astabant, vt comprehensum Achio- rem Betuliam abducerent, ac traderent in manus Israelitarum.

8 Tum serui eius acceptum Achio- rem in medium campum extra castra eductum in montanam regionem asportarunt. Quumque peruenissent ad fontes Betuliæ subiectos, conspicati eos in vertice montis oppidani, acceptis armis suis vnà cum funditoribus omnibus in fastigium montis ex oppido contenderunt, ascensumque occupato, lapides in illos coniecerunt.

9 Itaque tum illi montem subierunt, constructumque vinculis Achio- rem sub radice montis iacentem reliquerunt, atque ad dominum suum reuerterunt.

10 Israelitæ autem quum ex oppido suo descendissent, circumstantes soluerunt eum, abductumque Betuliam ad principes suæ ciuitatis produxerunt.

11 Hi autem eo tempore erant, Ozias Michanatus è tribu Simeon, & Chabris Gothonielis, Charmisque Melchielis filius. Hi quum omnes conuocassent seniores ciuitatis iuuenesq; omnes ipsorum, ac simul mulieres in concionem concurrissent: Ozias Achio- rem in medio totius populi constitutum, super eo quod acciderat, interrogauit.

12 Tum respondens Achior, exposuit eis quæ dicta fuerant in cõfessu Holophernis, omnesque sermones quos ipse inter principes Assyrios habuerat, quæq; Holophernes in domum Israel superbè loquutus erat.

13 Et quemadmodum ipse Holophernes iratus iusserit eum Israelitis hac de causa tradi: vt dum vicerit filios Israel, tunc & ipsum Achior diuersis iubeat interire supplicijs: propter hoc quod dixisset, Deus cæli defensor eorum est.

14 Itaque tum prolapsus in terram populus adorauit Deum, eumque huiusmodi verbis implorauit,

15 Intuere Domine Deus cæli superbiam eorum, humilisq; generis nostri miserere. respice faciem eorum qui hodie tibi sanctificati sunt: quoniam non derelinquis præsumetes de te: et præsumentes de se, & de sua virtute gloriantes, humilias.

16 Achio- rem autem sunt cõsolati, eumque vehementer laudauerunt.

17 Dicentes, Deus Patrum nostrorum, cuius tu virtutem prædicasti, ipse tibi dabit hanc vicissitudinem, vt eorum magis tu interitum videas.

18 Quum verò Dominus Deus noster dederit hanc libertatem seruis suis, sit & tecum Deus in medio nostri: vt sicut placuerit tibi, ita cum tuis omnibus conuerferis nobiscum.

19 Ozias verò eum ex concione domum suam deduxit, conuiuioque excepit, cum principibus: atque tota illa nocte Deum Israel in auxilium implorarunt.

20 Et vocatis omnibus presbyteris, simul expleto ieiunio refecerunt.

21 Postea verò conuocatus est omnis populus, & per totam noctem intra Ecclesiam orauerunt, petentes auxilium à Deo Israel.

1 Holophernes ascendit contra Betuliam. 4 Filij Israel perturbantur ob multitudinem aduenientium cum Holopherne. 6 Holophernes educit equitatum in conspectu Israelitarum. 11 Ciues Betuliam ob sitim Holopherni tradere volunt. 17 Oratio uehemens cum fletu & confessione peccati. 23 Differri per quinque dies suadet Ozias.

Supra 2. b. 7

1 Postridie verò edixit Holophernes vniuerso exercitui suo, ac populo qui arma socia iunxerat, vt castra moueret Betuliam, ascensùsque montium præoccuparent, & bellum inferrent Israelitis.

2 Profectusque est illo die robustissimus quisque ipsorum, & virorum bellicosorum copie, peditum ceterum septuaginta millia, equitum verò duodecim millia, præter impedimenta, viròsque alios qui quammaximo numero pedibus sequebantur.

3 Et castra posuerunt ad fontem in valle propinqua Betulie, eaque in Dorthaim vsque Belmaim latitudine extenderunt, longitudine verò à Betulia vsque Cyamonem, quæ Esdraeloni obiecta est.

4 Itaque Israelite, vbi horum viderunt multitudinem, vehementer sunt perturbati, atque alij alij dixerunt, Nunc hi quidem faciem totius terræ occupabunt, adeò vt nec mōtes excelsi, nec valles nec colles huic tantæ moli sustinendæ sufficiant.

5 Armis itaque belli quisque sumptis, & accensis ignibus excubantes per totam noctem illam, turribus se continuerunt.

B 6 Postero verò die Holophernes educto omni equitatu suo in conspectum Israelitarum Betulie commorantium, explorauit ascensus ad ipsorum urbem, aqueductus obiuit ac præoccupauit: impositoque contra eos virorum bellicosorum præsidio, ipse ad castra populi sui reuersus est.

7 *(Erant tamen non longè à muris fontes, ex quibus furtim videbantur haurire aquam ad refocillandum potius quam ad potandum.)*

8 Tum adierunt Holophernem omnes principes filiorum Esau, simulque duces populi Moab cum ducibus oræ maritimæ: ac dixerunt,

9 Audiat iam sermonem Dominus noster, ne quid detrimenti exercitus tuus accipiat. neque enim fiducia huius populi Israelitici in hastis consistit, sed in iugis montium in quibus habitat: neque enim ad vertices montium illorum subire facile est. Nunc igitur Domine noli eos huiusmodi prælio adoriri quod instructa acie committatur: & ita ne vnus quidem tuorum cadet. Cõtine te castris tuis, vt omnes copiarum tuarum viros conserues: serui verò tui aquam fontis è radice montis promanantè custodiis afferuent. nã inde omnes Betulie ciues aquas hauriunt. Ita sitis enecabit eos, aut ad vrbes deditionem adiget: nos autem cum populo nostro in propinquos montium vertices ascēdemus, ibique vallum iaciemus præsidio futurum, ne quis vrbe egrediatur. Ita ipsi, vxoresque ipsorum ac liberi fame tabescent: & antequam gladius in eos sæuiat, in domesticis plateis interibunt. tūque ita rependes vicem ipsis perniciosam, eo quòd seditionem moliti sunt, nec placidè tibi ad nutum tuum obsequuti.

10 Eorum oratio Holopherni, eiusque seruis omnibus placuit: atque is quemadmodum il-

li loquuti fuerat, agere cōstituit. profecti sunt ergo Ammonitæ cum quinque Assyriorum milibus: & castris in valle positis, aquas Israelitarum & aqueductus occuparunt. Filij autem Esau & Ammonitæ in regionem montanam ascenderunt, castraque locauerunt eregione Dorthaim. Porro partem suorum miserunt ad Austrum & subsolanum aduersus Ecrebel iuxta Chusi, quæ super torretem Mochmur sita est: reliquus Assyriorum exercitus in campo castra habuit, totamque terræ faciem operuit, vt cuius tentoria atque impedimenta multitudine latissimè paterent. Filij autem Israel clamabant ad Dominum Deum ipsorum collapsi animis, quòd ab hostibus cōclusi essent, nec haberent è medio ipsorum effugium. Iamque trigintaquatuor dies omnis multitudo Assyriorum tam peditum quam equitum cum curribus suis eos vndique obsederant:

11 Quum aquæ defecerunt omnes incolas Betulie valaque ipsorum omnia, vt omnibus cisternis exhaustis, ne in vnā quidem diem aquam haberent bibendam ad satietatem, sed mensura porum acciperent.

12 Quamobrem quum infantes eorum linerentur animo, mulieresque ac iuuenes præfitti deficerent, atque conciderent in plateis vrbes, portarumque transitu, neque vllum in ipsis robur superesset: populus vniuersus, & iuuenes, & vnā cum liberis mulieres ad Oziam & principes ciuitatis conuenerunt, magnaque voce clamitantes coram omnibus senioribus, dixerunt,

13 Iudicet Dominus inter nos & vos, quoniã nos magna affecistis iniuria, quòd pacem ab Assyriis non postulaueritis. *Exod. 5. d. 23*

14 Nunc quidem non est qui nobis opem ferat: sed Deus nos venditos in manus illorum tradidit, vt siti cladèque magna coram illis occumbamus.

15 Nunc igitur accersite illos atque urbem totam populo Holophernis omnibusque eius deprædandam dedite.

16 Præstat enim nos dari illis in direptionem quam siti interire. erimus enim illorum serui, nostraque viuet anima: nec mortem infantium nostrorum ante oculos, aut vxores & liberos nostros animis deficientes intuebimur.

17 Attestamur autem vobis cælum & terram, simul & Deum tam peccata nostra quam patrum nostrorum in nos vindicantem, ne hæc in nos omnia hodie conuertat. **D**

18 Simul tota in congregatione comploratio magna ab omnibus vnanimiter est facta, atque ad Dominum Deum maxima voce clamarunt:

19 *Peccauimus cum patribus nostris, iniuste egimus, iniquitatem fecimus.* *Psal. 105. d. 6*

20 *Tu quia pius es, miserere nostri: aut in tuo flagello vindica iniquitates nostras, & noli tradere confitentes te populo qui ignorat te:*

21 *Vt non dicant inter gentes, Vbi est Deus eorum?*

22 *Et quum fatigati his clamoribus, & his fletibus lassati siluissent,*

23 Tum Ozias, Bono, inquit, animo estote, fratres, & dies adhuc quinque toleremus, in quibus Dominus Deus noster suam in nos misericordiam conuerteret.

24 Neque enim nos omnino derelinquet.

25 Quod si elapsi fuerint illi dies, neque auxilium nobis vllum afferatur, secundum postulata vestra faciam. Ita dimisso ab eo ad vallum suum populo, ad muros ac turres vrbs singuli abierunt, vxoribusque ac liberis in domos suas ab eodem remisissis, seipsum in vrbe vehementer afflictauerunt.

CAPVT VIII

20 *Reprehendit Iudith Sacerdotes quinto die ciuitatem tradere volentes, & misericordie Dei terminum statuentes. 21 Adhortatur Sacerdotes vt populum ad patientiam animent, exemplo patrum. 30 Consilium Iudith in vltionem inimicorum.*

1 **H**Æc autem temporibus illis audiuit Iudith filia Merari filij Ox, filij Ioseph, filij Oziel, filij Helciae, filij Ananiae, filij Gedeon, filij Raphaim, filij Acirho, filij Eliae, filij Eliah, filij Nathanael, filij Samaliel, filij Salafadai, filij Israelis.

2 Huius vir fuit Manasses, eiusdem cum ea tribus & familie, qui tempore messis hordeacee mortem obiit.

3 Quum enim in agro instaret manipulos legentibus, ingruens in caput eius æstus, in lectum coniecit eum, vnde in vrbe Berulia mortuus est, atque inter maiores suos sepultus in agro qui interiacet Dorthain & Belamo.

4 Porro Iudith domi suae vidua vixerat tres annos & menses quatuor.

5 Eaque in cœnaculo domus suae tabernaculum sibi extruxerat, cilicioque circa lumbos suos accincta, vestes viduitatis suae gerebat.

6 Quod quidem tempus totum ieiuniis trãsegit, exceptis sabbathis, ac diebus sabbatha non uasque lunas proximè præcedentibus, tũ domui Israel solennibus, ac hilaribus.

7 Erat autem venusta forma, aspectũque perpulchra: præterea reliquerat ei Manasses maritus eius aurũ & argẽtum, seruos & ancillas, iumenta & agros, quæ possidebat.

8 Nec erat quisquam qui crimẽ in eam vllum conferret, quod Deum valde piẽ coleret.

Suprà 7. d. 25 9 Hæc ergo quum iniqua populi ad principẽ verba audiuiisset, quod esset fracto propter inopiam aquarum animo, & ea omnia quæ Ozias ad eos loquutus erat, accepisset: quemadmodum iurasset se post quinque dies elapsos vrbes Assyriis traditurũ, missa ancilla sua quæ omnibus facultatibus eius præerat, Oziam, Charim & Charmin seniores ciuitatis accersuit.

B 10 Qui quũ venissent, sic eos alloquuta est, Audite principes populi Beruliam incolẽtis, minimè recta est oratio vestra quam habuistis hodie ad populum, interpositoque inter Deum & vos iureiurando constituistis, ac dixistis vrbes vos hostibus nostris esse dedituros, ni intra dies hosce Dominus se ad ferendam nobis opem conuerterit.

11 At qui tandem estis vos, qui Deum hodie no die tentetis, Deique partes inter homines occupetis?

12 Quod si nunc in disquisitionem vocetis omnipotentem Dominum, nihil pernoscetis in æternum.

13 Quum profunda cordis humani peruestigare, & rationes mentis eius cõprehendere non possitis, quomodo Deum qui hæc omnia creauit, peruestigetis, mentẽque eius cognoscatis, aut cogitationem comprehendatis? Nullo

modo fratres. itaq; Dominũ Deum nostrum ne prouocetis ad iram.

14 Nam si minus voluerit intra quinque hosce dies nobis opitulari, potestatem ipse habet, quibus vult, omnibusque adeo diebus protegendis nos, aut etiam ante oculos hostium nostrorum disperdendi.

15 Vos autem ne obstringatis consilia Domini Dei nostri, quoniam nõ est vt homo Deus qui minas patiat, neque vt filius hominis qui in iudicium vocetur.

16 Quin potius salutem ab ipso expectantes, eum in nostrum auxilium inuocemus, & nostram exaudiet vocem, si ei visum fuerit.

17 Quoniam nõ extitit ætate nostra, nec est hodie tribus, aut familia, aut populus, aut ciuitas è nobis, quæ deos adoret manu factos.

18 Quemadmodum contigit superioribus temporibus, propter quæ patres nostri ad cædem & prædam expositi fuerunt, cladẽque magna coram hostibus nostris occubuerunt.

19 Nos verò alium non agnoscimus Deum, vnde speramus ipsum nos, aut quenquam è nostro genere non neglecturum.

20 Neque verò vbi capti fuerimus, nomen Iudææ suum manebit, sed sacra nostra diripiuntur, & Deus profanationem ab ore nostro vindicabit. Tum metum fratrum nostrorũ, ac terræ captiuitatem, hæreditatisque nostræ desolationem in caput nostrũ rependet inter Gentes vbi seruiemus, & erimus in offendiculum atque opprobrium coram iis in quorum potestate erimus. Neq; enim ad gratiam dirigitur seruitus nostra, sed ad ignominiam à Domino Deo nostro constituetur.

Iudic. 2. b. 11.
4. 4. 4. 4.
6. d
C

21 Quamobrem fratres exemplum nunc fratribus nostris præferamus, quoniam illorum animus à nobis penderet, sacraque simul & templum altarẽque nobis nituntur. In primis verò gratias agamus Domino Deo nostro, qui tẽtat nos, quemadmodum & patres nostros.

22 Mementote quæ cum Abraham egerit, quibusque rebus Isaac probarit, quæ item Iacob in Mesopotamia Syriae pascenti oues Laban auunculi ipsius acciderint.

Gen. 22. d. 8

23 Etenim sicut illos, experiundi cordis ipsorum gratia, ita nos probat, & nõ vlscitur: sed commonitionis causa Dominus castigat eos qui ei appropinquant.

Gen. 28. b. 7

24 Illi autem qui tentationes non susceperunt cum timore Domini, & impatientiam suam & improprium murmurationis suæ contra Dominum protulerunt,

25 Exterminati sunt ab exterminatore, & à serpentibus perierunt.

1. Corint. 10.
b. 10

26 Et nos ergo non vlscamur nos pro iis quæ patimur:

27 Sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse, flagella Domini, quibus quasi serui corripimur, ad emendationem, & non ad perditionem nostram euenisse credamus.

Rom. 8. d. 17

28 Respondit ei Ozias, Quæcunque tu dixisti, ab optimo animo profecta sunt, neq; est quod quisquam verbis tuis contradicat. Neq; enim hodie primũ cognita est tua sapiẽtia, sed omnis populus intelligentiam tuam à primis temporibus perspectam habet, quod bona sit animi tui commentatio. sed populus maxima pressus siti, nos secũ, quæadmodũ loquuti sumus, coegit agere, nõsque obstringere iureiurando quod minimè violabimus.

29 Quare

29 Quare tu nunc, quum mulier pia sis, pro nobis ora, vt Dominus pluuiam demittat ad implendas lacunas nostras, ne siti deficiamus.

30 Tum Iudith, Audite me, inquit, & facinus faciam quod ad posteros generis nostri continuis ætatibus perueniat.

31 Ita quod facere disposui probate si ex Deo est: & orate vt firmum faciat Deus consilium meum.

32 Vos ad portã hac nocte stabitis: ego autem cum ancilla mea egrediar. atque intra dies intra quos dixistis vos urbem hostibus tradituros, Dominus Israelitis per manum meam subueniet.

Infra 10. b. 8 33 Vos autem quid ego sim actura, ne sciscitmini. neque enim vobis ego, priusquam confectum sit quod constitui agere, declarabo.

34 Cui Ozias simul & principes responderunt, Abi sceliciter, & Dominus præeat tibi ad vltionem hostium nostrorum. Simul conuersi à tabernaculo ad stationes suas discesserunt.

CAPVT IX.

Intrat Iudith secretum cubiculum: & cilicio induta & cinere conspersa, Deum orat, commemorans beneficia ipsius & promissiones quibus eum prouocet ad misericordiam.

TUM Iudith suam in faciem procubuit: quumque puluere caput suum conspersisset, nudato quo induta erat, cilicio, quum iam odores illius vesperæ adolerentur in æde Domini Hierosolymis, magna exclamans voce, dixit,

Genes. 34. b. 12, & d. 25 2 Domine Deus patris mei Symeonis, cui tradidisti gladium ad vltiscendum alienigenas,

3 Qui virginis vuluam in coinquinationem aperuerant, femurque nudauerant in ignominiam, ac vuluam in opprobrium profanarunt, (Tu enim interdixisti ne id fieret) & ea partrarat ob quæ ad cædem principes eorum tradidisti, vt decepti stratum suum rigarent sanguine: tum seruos super principes, atq; ipsos principes in solis suis trucidasti: vxores verò eorum in prædam, ac filias in captiuitatem, omniãque illorum spolia tradidisti diuidenda filiis à te dilectis. Qui zelo accensi tuo pollutionem sanguinis sui abominati sunt, opemque tuam implorauerunt, ô Deus, ô Deus meus, me etiam exaudi viduam.

4 Tu enim & ea quæ priora illis fuerunt, & illa, & ea quæ sunt sequuta, fecisti: tu præsentia quoque futurãque præmeditatus es.

5 Tibi adsunt parata quæ decreuisti: & Ecce præsto sumus, inquit. expedita enim sunt tua instituta, & prouisa iudicia.

6 Ecce Assyrij sua multiplicati sunt potentia, equo simul atque equite elati, brachio pedum insolentes, scuto, gesso, arcu, fundaq; confidunt: neque cognoscunt te Dominum esse qui bella conficis: tuum Dominus nomen.

7 Sed aspexisti super castra eorum, & tenebræ fatigauerunt eos.

8 Tenuit pedes eorum abyssus, & aquæ operuerunt eos.

9 Sic fiant & isti Domine qui confidunt in multitudine sua, & in curribus suis, & in contis, & in scutis, & in sagittis suis, & in lanceis gloriantur:

C 10 Et nesciunt quia tu ipse es Deus noster qui conteris bella ab initio, & Dominus nomen est tibi.

11 Tu robore tuo vires eorum infringe, iraque tua illorum potentiam contere: decreuerunt enim profanare Sacra tua: & tabernaculũ glo-

riofis nominis tui sedem polluere, cornuq; altaris tui ferro deiicere:

12 Superbiam eorum intuere, iramque tuam in capita ipsorum demitte, ac robur quod contepsi, in manum viduæ meam insere.

13 Capiatur laqueo oculorum suorũ in me, & percuties eum ex labiis charitatis meæ.

14 Da mihi in animo constantiam, vt contemnam illum: & virtutem, vt euertam illum.

15 Per labia falsa mea seruum super principem & principem super seruum suum trucidando, ipsorum ferociam manu sceminæ infringe.

16 Neque enim in multitudine robur tuum situm est, nec potentia tua in robustis: sed humilium es Dominus, inferiorum adiutor, præsidium infirmorum, deploratorũ defensor, seruatorque desperatorum.

17 Etiam etiam ô Deus patris mei, Deus hereditatis Israel, domine cælorum ac terræ, creator aquarum Rex, rerum abs te creatarum omnium.

18 Da sermonem mihi, & fallaciam, & vulnus, flagellumque in eos qui contra Testamētum tuum, contraque tuam ædem sacram, contrã vericem Sion, contraque domum quam tui possident filij, consilia dira ceperunt.

19 Prode exemplum in omni gente tribuque tua, quo planè cognoscatur, te omnis virtutis potentiaque Deum esse, neque alium præter te, Israeliticæ gentis defensorem.

CAPVT X.

1 Oratione absoluta, Iudith exornat se, vt Holophernem vincat in Dei gloriam. 4 Pulcherrima Iudith. 11 Comprehensa ab exploratoribus, deducitur ad Holophernem.

QUUM autem Dei Israelis intocãdi finem fecisset, atq; hæc verba peregisset omnia, surrexit procubitu.

2 Et ancilla sua vocata, in domicilium vbi sabathis ac diebus festis suis versabatur, descendit.

3 Ibi detracto, quo induebatur, cilicio, vestibusque viduitatis suæ depositis, corpus aqua prius ablutum, vnguento pingui perunxit, tum capillis capitis sui compositis, mitraq; superimposita, vestes festiuas suas, quibus ornari viuo Manasse viro suo solebat, induit.

4 Quumque sandalia sumpsisset pedibus atq; armillas, brachialia, annulos, in aures mundumque omnem suum asciuisset: vultum ad capiendos intuentium eam virorum oculos perquam venustè composuit.

5 Postremò vtrem vinarium vino, & vas oleo plenum ancillæ suæ tradidit: peramque farina, massa carycarum, purisque panibus impleuit, atque omnia vasa conuoluta eidem imposit.

6 Ita egressa ad portam Betulię vrbs, Oziam, atq; seniores ciuitatis Chabrim & Charmim ibi stantes repererunt.

7 Qui vt viderunt eam, & vultum eius alium habitumque immutatum, pulchritudinem eius vehementer admirati,

8 Sic eam allõquuti sunt, Deus Deus Patrũ nostrorũ te in gratiam ponat, & instituta tua perficiat ad gloriam Israelis, atque excellentiam Ierusalem. Simulque Deũ adorauerunt.

9 At illa, Portam mihi, inquit, iubeto aperiri, & egre-

D

Iudic. 4. d. 21.

5. d. 22

Iudic. 7. d. 2

2. Paral. 14.

6. 11, & 6. b.

8, & 20. d. 6

Supra 8. d. 33

- & egrediar ad ea perficienda quæ mecum loquuti estis. Tum illi iuuenibus imperarunt vt aperirent, sicut illa postulauerat.
- 10 Quod illi quum fecissent, Iudith vnà cū ancilla sua egressa est, oculis eam prosequentibus oppidanis, quoad ex monte descenderet, eamque vallem peruadentem è conspectu amitterent.
- 11 Ita profectæ sunt illæ rectà per vallem, donec in Assyrios, qui in statione pro castris erāt, incidèrent.
- C 12 Qui comprehensam interrogauerunt eam, Cuias es, & vnde venis, aut quò tendis? Et illa, Filia, inquit, sum Hebræorum, ab illis que trāsfigi, quoniam vobis tradentur deuorandi: pro eo quòd contēnentes vos, noluerunt vltro tradere seipos vt inuenirent misericordiam in conspectu vestro.
- 13 In conspectum autem Holophernis summi Imperatoris vestri exercitus venio, vt ei vera annuntiem dicta, viamque commonstrē ante oculos, per quam ingressus tota regione montana potiatur: neque vllius corporis militum suorum, aut vitalis spiritus incommodum patiatur.
- 14 His verbis eius auditis, contemplati sunt illius vultum, pulchritudinēq; eius vehementer admirati, dixerunt,
- 15 Vitam tu conseruasti tuam, quæ in conspectum Holophernis properaris descendere. quapropter nunc perge ad tabernaculū eius: deducant enim te aliquot è nobis, donec te in manus eius tradiderint.
- D 16 Verūm vbi coram eo constiteris, ne consterneris animo, sed quæ loquuta es, ei annuntia, & beneficentia te sua prosequetur. Delegerūt ergo ex ipsis viros centum, qui iuncto ipsi simul & ancillæ curru, ad tabernaculum Holophernis eam deduxerunt. Tum verò concursu totis castris factō, quòd fama aduentus eius ad tabernacula peruenisset, turba venientium eam circumdare stantem extra tabernaculum Holophernis, dum illi de ipsa nuntius afferretur.
- 17 Admirari verò pulchritudinem eius, adeòq; propter ipsam filios Israel,
- 18 Atque alius alij dicere, Quis contemnat populum istum, qui quidem tales habet mulieres? Sane non est vtile vel vnum relinqui virum ex illis, qui dimissi facillē queant totū orbem in fraudem pellicere. Porrò egressi sunt excubitores Holophernis, atque omnes eius serui in tabernaculum eam introduxerunt.
- 19 Tum autem Holophernes quiescebat super lecto suo, in conopeo, purpura, auro, smaragdo, lapidibusque pretiosis intertexto. Quūque de illa nuntium accepisset, prodiit in vestibulum tabernaculi, præcedentibus eū lampadibus argenteis.
- 20 Ibi quum Iudith in conspectum eius atque ministrorum ipsius venisset, omnes venustatem vultus eius mirati sunt. illa verò in faciem prolapsa, eum adorauit: quam serui illius exerunt.

CAPVT XI.

Iudith iuuenis causam astute Holopherni aperiens, illi imponit.

1 **T**VM Holophernes eam sic est alloquutus, Confide mulier, neque animo tuo

expauescas. neque enim ego quenquam afflixerim, qui regi totius terræ Nabuchodonosori seruire voluit.

2 Quòd nisi me contempsisset populus iste tuus montanam insidens regionem, non vtique hastam meam aduersus eum erexissem, sed ipse horum sibi causa est.

3 Iam verò dic tu mihi qua de causa transfugeris ab illis, & huc adueneris. venis enim ad salutē: bono animo esto, vtpote hac victura nocte, atque in posterum. Neque enim est qui tibi faciat iniuriam, sed bene tractaberis, quem admodum serui domini mei Nabuchodonosori tractari solent.

4 Cui respondit Iudith, Accipe verba ancillæ tuæ, & loquatur coram te famula tua, nec mendacium hac nocte domino meo enuntiauerō. Quòd si monita ancillæ tuæ sequutus fueris per omnia, rem Deus tecum perficiet, nec Dominus meus ab iis quæ instituit, excidet.

5 Testor enim vitam regis totius terræ Nabuchodonosori, & potentiam eius qui te misit ad restitutionem omnium, non solum fore vt homines illi per te seruiant, sed feræ quoque agrestes, ac pecudes, cælique volucres per potentiam tuam sub Nabuchodonosori totiusque domus eius imperio viuant.

6 Nam sapientiam tuam & calliditatem animi tui audiuius, totaque terra diuulgatum est, te solū esse eximium in omni regno, scientiaque præstantem, atque in re militari admirandum.

7 Iam verò sermonem quoque quem in consessu tuorum Achior habuit, & quæ verba fecerit, intelleximus. eum enim ciues Betulæ sibi acquisierunt. quibus omnia quæ apud te loquutus esset, retulit. Quapropter dominator domine, monita eius ne alperneris, sed corde tuo recondas ea, quia vera sunt.

8 Non enim supplicio obnoxium est genus nostrū, nec valet aduersus ipsum gladius, nisi peccatis Deum suum offenderint.

9 Iam verò ne dominus meus spe decidat, neve discedat infecta re, sed mors in faciem eorū irruat: tale peccatum inuasit eos, quo quidem irritabunt Deum suum, quādo cunque nefas admiserint.

10 Quoniam enim defecerunt eos alimenta, & aquarum inopia laborant,

11 Iumenta sua decreuerunt inuadere, ac quibuscunque Deus legibus suis interdixit illis, ne vescantur, ea consumere statuerunt.

12 Atque etiam primitias frugum, & decimas vini atque olei, quas reseruarant consecratas Sacerdotibus, Hierosolymis in conspectu Dei nostri ministrantibus, eas absumere decreuerunt: quum eas ne manibus quidem fas sit quenquam è populo contingere. Miserunt autem Hierosolymam (Nam & illius incolæ talia patrauerunt) qui sibi licentiam à Senatu referant. Accidet igitur vt quum accepto responso fecerint, illo ipso die ad interitum tradantur.

13 Quamobrem ego ancilla tua, quum hæc cognouissem omnia, ab eis trāsfigi: meq; Deus misit ad conficiendam tecum rem quæ terras omnes, ad quas illius fama perueniret, stupore afficiat.

14. Reli-

- 14 Religiosa est enim ancilla tua, Deumque; cæli colit noctes ac dies. Nunc autem mi domine, apud te manebo: & egredietur ancilla tua in vallem noctu, & preces ad Deum adhibebo, ut mihi indicet quando illi peccata sua commiserint.
- 15 Et dicet mihi quando eis reddat peccatum suum, & veniens nuntiabo tibi, ita ut ego adducam te per mediam Ierusalem, & habebis omnem populum Israel sicut oves quibus non est pastor: & non latrabit vel vnus canis contra te.
- D 16 Quoniam hæc mihi dicta sunt per prouidentiam Dei.
- 17 Tum verò accedam, & rem ad te referam, & erumpes cum omnibus tuis copiis, nec erit quisquam illorum qui tibi resistat. Ego autem ducam te per mediam Iudæam, donec peruenias in conspectum Hierosolymæ, sedemque tuam in medio illius collocé. ita illos ut oves pastore destitutas ages, ut ne canis quidém ore suo coram te mutire audeat. Hæc enim mihi per prænotionem dicta sunt & enuntiata: tibi; ut renuntiarem missa sum.
- 18 Huiusmodi autem sermones placuerunt Holopherni, eiusque ministris omnibus: qui sapientiam illius admirati, dixerunt,
- 19 Non est mulier ab extremo ad extremum terræ, venustate formæ, peritiæque orationis similis.
- 20 Simulque Holophernes ei dixit, Bene fecit Deus qui te huic populo miserit, ut manibus nostris robur, iis verò qui dominum meum spreuerunt, exitium afferres. tu quidem vultu venusta es, verbisque facunda.
- 21 Quòd si feceris quæ loquuta es, Deus erit mihi Deus ille tuus: tu verò sedebis in domo regis Nabuchodonosoris, & per totam terram celebraberis.

CAPVT XII.

1 Holophernes iubet introduci Iudith in locum thesaurorū. 5 Petiit Iudith sibi dari facultatem foris orandi. 11 Mittitur Vago ad Iudith ut suadeat ei consentire Holopherni. 16 Venit Iudith ad Holophernem. 20 Ebrius Holophernes.

Gen. 43. g. 52
Dan. 1. b. 8
Tob. 1. b. 12

- 1 **T**um iussit eam introduci in cellam argenteæ supellectilis suæ, deque cibariis suis mensam ei consternendam, ac potum de vino suo præbendum constituit.
- 2 At Iudith, De iis non edam, inquit, ne qua contrahatur offensio. sed de eis quæ mecum delata sunt, ministrabitur.
- 3 Cui Holophernes, Si verò defecerint quæ apud te sunt, unde petemus quæ tibi demus his similia? nihil enim nobis tuo è genere supererit.
- 4 Respondit ei Iudith, Viuit anima tua mi domine, quoniam non consumet ancilla tua quæ mihi adsunt, antequam Dominus consilium suum per manum meam fuerit exequutus. Introduxerunt igitur eam serui Holophernis in tabernaculum: ubi quum in mediam usque noctem dormiuisset, sub matutinam vigiliam exsurrexit.
- B 5 Et misit ad Holophernem qui diceret, Iubeat iam dominus meus ancillam suam emitti ad precationem.
- 6 Quumque edixisset Holophernes stipatoribus corporis sui, ne prohiberent ipsam: in castris mansit tribus diebus,
- 7 Noctu in vallem Betulæ egrediens, & aqua

- se abluens in fonte qui erat in castris.
- 8 Quumque ascenderet, orabat Dominum Deum Israelis, ut institutum suum ad leuandum genus populi sui dirigeret.
- 9 Regressa verò munda in tabernaculo permanebat, donec sub vesperam cibum suum caperet.
- 10 Euenit autem die quarto ut Holophernes conuiuium celebraret cum seruis suis solis, nec ad concœnationem quenquam inuitasset eorum qui negotiis præerant.
- C 11 Is Bagoæ eunuchus, qui omnibus eius facultatibus præfectus erat, dixit, Persuade isti mulieri Hebræe quæ apud te est, ut veniat ad nos, & nobiscum edat ac bibat. Nam ecce, personæ nostræ fuerit ignominiosum si talē mulierem ita prætermiserimus, ut nullam cum ea consuetudinem habeamus. quòd nisi eam attraxerimus, nos irridebit.
- 12 Egressus ergo à conspectu Holophernis Bagoas, atque ad illam ingressus, Ne grauetur ancilla hæc formosa adire dominum meum, & coram eo gloria decorari, tum vinum nobiscum bibere ad hilaritatem, & hac die more filiarum Assyriacarum quæ in domo Nabuchodonosoris assistunt, se gerere.
- 13 Cui Iudith, Quænam ego sum, inquit, ut domino meo aliquid denegem?
- 14 Quin potius quod gratum fuerit in oculis eius, summo studio faciam, quod quidem mihi usque ad extremum vitæ meæ diem gloriæ di causam afferat.
- 15 Simul exurgens, se vestitu & omni mundo muliebri exornauit, accessitque ancilla eius, atque ex aduerso Holopherni strauit ei pelles humi, quas à Bagoa quotidianum in usum suum acceperat, ut super his recumbens cibum caperet.
- D 16 Quumque accessisset Iudith ac discubisset, exarsit cor Holophernis in eam, animusque commotus est, ut congressum eius vehementer appeteret. Iam enim ex quo primum die conspiciatus eam fuerat, obseruabat occasionem qua ea abuteretur.
- 17 Hortabatur igitur eam, Bibe iam, inquit, ac te nobiscum hilarem præbe.
- 18 Et Iudith, Bibam sanè, inquit, domine, quoniam magnificentiam adeptæ est in me hodie vita mea maiore quam vllò ex quo nata sum, tempore.
- 19 Simul edere coram eo biberetque cepit quæ sibi ab ancilla sua parata fuerant.
- 20 Lætatus est itaque propter eam Holophernes: & vini quàm plurimum bibit, quantum nunquam aliàs biberat vno die, ex quo natus fuerat.

CAPVT XIII.

4 Holopherne ebrietate sopito, & puella ostium obseruante, Iudith caput eius præscindit, & cinibus suis defert. 17 Hortatur Iudith populum ad laudem Dei ob partam victoriam de Holopherne.

- 1 **Q**uum autem iam serum esset, festinarunt serui eius se recipere, & Bagoas foris occlusit tabernaculum: præsentésque omnes à conspectu domini sui dimissi, sua quisque cubilia petierunt.
- 2 Erant enim omnes longa defessi computatione. Eccl. 31. d. 30
- 3 Relicta est itaque Iudith in tabernaculo sola,

- 4 Et Holophernes proiectus in lecto suo, quod ebrietate perfusus esset.
- 5 Iusserat autem Iudith ancillam suam astare extra cubiculum, & se pro quotidiano more exeuntem obseruare. dixerat enim se exituram ad precationem, atque in eandem sententiam cum Bagoa loquuta fuerat.
- 6 Quum ergo omnes e conspectu ipsius discessissent, neque quisquam relictus esset in cubiculo paruus aut magnus, Iudith apud lectum illius stans, in animo secum, Domine Deus omnis virtutis, inquit, respice hac hora ad opera manuum mearum, vt Hierosolyma extollarur.
- 7 Quoniam nunc tempus est adiuuandi hereditatem tuam, atque instituta mea perficiendi, ad conuassationem hostium qui in nos insurrexerunt.
- 8 Simul accessit ad columellam lecti que erat ad caput Holophernis, & acinacem illius inde desumpsit.
- 9 Quumque lecto se applicuisset, coma capitis eius apprehensa, Corroborata me hodie, inquit, Domine Deus Israelis.
1. Regum 17. 2. Macha. 7. 8. 47
B 10 Atque ita duos ictus infixit in ceruicem eius, quantum poterat: & caput amputauit.
- 11 Tum deinde corpore eius de strato deuoluto, ablatoque de columnis conopeo, paulo post egressa, caput Holophernis ancillae suae tradidit.
- B 12 Quod quum illa in peram cibariam suam immisisset, egressae sunt ambae simul quo ad precationem more solebant. ita e castris euadentes, vallem illam ambierunt, montemque Betuliam conscenderunt.
- 13 Quumque ad portas eius peruenissent, Iudith procul clamauit portarum custodibus, Agite, aperite portam, aperite: adest nobis Deus, Deus ille noster, robur adhuc exercens Hierosolymis, & contra hostes potentiam, quem admodum fecit & hodie.
- 14 Hac voce eius exaudita, oppidani ad portam urbis suae propere descenderunt: & quum seniores ciuitatis conuocassent,
- 15 Omnes vnà a minimo vsque ad maximum concurrerunt (insperatus enim erat reditus eius) patefactisque portis eas receperunt.
- 16 Atque igne lucis causa accenso circumsteterunt: illa autem ascendens in eminentiorem locum, iussit fieri silentium. Quumque omnes tacuissent,
- 17 Iudith verò magna voce, Laudate Deum, inquit, laudate Deum.
- 18 Quoniam misericordiam suam domui Israelis non subtraxit, sed hostes nostros hac nocte manu mea conuassauit.
- C 19 Simul caput e pera prolatum illis ostentans, Ecce, inquit, caput Holophernis summi imperatoris exercitus Assyriorum: ecce & conopeum in quo recumbebat ebrius, quem Dominus manu feminae percussit.
- 20 Viuit Dominus qui me in via qua sum profecta, conseruauit. quoniam illum facies mea in perniciem eius decepit: neque ille vllum in me factum ac turpe flagitium designauit: sed sine pollutione peccati reuocauit me Deus uobis gaudentem in uictoria sua, in euasione mea, & in liberatione uestra.
- Psal. 105. 4. 5. & 106. 4. 1
21 Confitemini illi omnes, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.
- 22 Tum populus vehemeter obstupuit: quumque Deum inclinatus adorasset, simul omnis, Celebrandus es, inquit, Deus noster, qui hostes nostros hodie in nihilum redegeris.
- 23 Ozias verò ei dixit, Benedicta es tu filia, a Deo altissimo supra omnes mulieres terrae.
- 24 Et benedictus est Dominus Deus, caeli & terrae conditor, qui te direxit ad caput ducis hostium nostrorum conuassandum.
- 25 Quoniam nunquam recedet spes tua ab animo hominum memoriam potentiae Dei semperternam celebrantium: hanc gratiam tibi impertiat Deus ad excellentiam perpetuam, vt te bonis locupletet, eo quod pro generis nostri afflictione vitae tuae non pepercisti: sed reftam coram Deo nostro viam ingressa, ruinae nostrae subuenisti.
- 26 Et subiecit omnis populus, Esto, fiat.
- 27 Porro Achior vocatus venit, & dixit ei Iudith, Deus Israel, cui tu testimonium dedisti quod uiscatur se de inimicis suis, ipse caput omnium incredulorum incidit in hac nocte in manu mea.
- 28 Et vt probes quia ita est, ecce caput Holophernis, qui in contemptu superbiae suae Deum Israel contempsit, & tibi interitum minabatur, dicens, Quum captus fuerit populus Israel, gladio perforari praecipiam latera tua.
- 29 Videns autem Achior caput Holophernis, angustiatus praepaore, cecidit in faciem suam super terram, & estuauit anima eius.
- 30 Postea verò quam resumpto spiritu recreatus est, prociidit ad pedes eius, & adorauit eam, & dixit,
- 31 Benedicta tu a Deo tuo in omni tabernaculo Iacob, quoniam in omni gente quae audierit nomen tuum, magnificabitur super te Deus Israel.
- CAPVT XIII.
- 1 Caput Holophernis in muro suspenditur. 6 Achior relicta gentilitate, credit Deo, & circumciditur. 7 Iudei facto armorum strepitu, Assyrios impetunt.
- 1 Porro autem Iudith eos ita est alloquuta, Agite fratres, audite me, & hoc caput acceptum in pinna murorum nostrorum suspendite.
- 2 Quumque diluxerit dies, ac sol super terram extiterit, arma belli quisque uestra capietis, atque ex vrbe viri cum duce uobis dato erumpetis, vt in campum descensuri in primam stationem Assyriorum, nec tamen descendentes.
- 3 Tum illi arreptis vniuersis armis suis in sua contendunt castra, vt duces copiarum Assyriacarum excitent: atque ad Holophernis tabernaculum accurrent,
- 4 Quo non inuento, terror ingruet in illos, & a conspectu vestro diffugient.
- 5 Tum verò vos insequentes vnà cum iis qui fines Israelis incolunt, per vias suas illos profertnite. Verum antequam haec fiant, accersite mihi Achiolem Ammonitam, vt conspectum agnoscat eum qui domum Israelis tantopere contempserat, atque ipsum ad nos, tanquam ad mortem, miserat. Vocatus est ergo Achior ex domo Oziae: qui vt venit, & caput Holophernis in manu cuiusdam viri in cocione populi vidit, in faciem prolapsus, animoque defectus est. postquam verò eum releuarunt, accidit ad pedes Iudith, eiusque faciem adorauit, & dixit, Celebranda es tu per omnia Iudae tabernacula, atque apud omnes Gentes quae fama nominis tui commotae fuerint. sed nunc enuntia
2. Macha. 15. 6. 35

enuntia mihi quæ tu per hosce dies gesseris. Et narrauit ei Iudith quæcūque egisset, ex qua primū die fuerat egressa, vsque ad tempus quo ad eos loquebatur. postquam autem finē loquendi fecit, populus magna voce iubilans, lætos per urbem suam clamores extulit.

B 6 Achior verò quum vidisset omnia quæ Deus Israeli fecerat, summam Deo fidem habuit, & carne præputij sui circumcisa, se ad domum Israelis vsque ad hunc diem adiunxit.

7 Quum autem dies illuxisset, capite Holophernis de muris suspeso, omnes viri sumptis armis in spiram circumeuntes, ad ascensum montis egressi sunt: quos Assyrij conspicati, nuntios ad suos centuriones dimiserunt: illi porro ad duces ac tribunos omnesque suos principes,

8 Atque ad tabernaculum Holophernis peruenunt: præfectoque vniuersæ domus eius dixerunt, Excita verò dominum nostrum, quoniam serui isti ad nos in pugnam descendere ausi sunt, vt prorsus exterminentur.

9 Porro hi qui in tabernaculo erant venientes, & ante ingressum cubiculi perstreptentes, excitandi gratia, inquietudinem arte moliebantur, vt non ab excitantibus, sed à sonantibus Holophernes euigilaret.

C 10 Nullus enim audebat cubiculum virtutis Assyriorum pulsando aut intrando aperire.

11 Sed quum uenissent eius duces ac tribuni, & vniuersi maiores exercitus Regis Assyriorum, dixerunt cubicularijs,

12 Intrate, & excitate illum, quoniam egressi mures de cauernis suis, ausi sunt prouocare nos ad prælium.

13 Tunc ingressus Bagoas pulsauit atrium tabernaculi, quod eum cum Iudith dormire suspicaretur.

14 Quum autem eum nemo exaudiret, dimotis foribus in cubiculum ingressus, inuenit illum proiectū in lecto, & adempto capite mortuum. tum voce magna exclamans cum fletu ac gemitu & valida vociferatione, vestimenta sua discidit.

15 Atque etiam ingressus in tabernaculum ubi Iudith recumbere solebat, quum eam non inuenisset, ad populum profiliit, vociferans,

16 Serui nefas admiserunt: vna mulier Hebræa ignominiam in domum regis Nabuchodonosoris intulit: nam ecce humi prostratus Holophernes, nec caput eius in eo est.

17 Hæc verba quum principes exercitus Assyriaci audiuisent, tunicas suas dilacerarunt, atque animo vehementer perturbati sunt,

18 Clamorque & maxima vociferatio mediis in castris exorta est.

CAPVT XV.

1 Holopherne mortuo, Assyrij fugam capiunt. 7 Filij Israel spolijs Assyriorum ditantur. 9 Benedicitur Iudith à pontifice & populo.

TUm etiam qui erant in tabernaculis, quum hæc audissent, obstupuerunt super eo quod factum fuerat,

2 Ingruentēque in eos metu ac terrore, non erat quisquam qui in conspectu proximi sui consisteret:

3 Sed simul omnes per omnes vias tam campestres quàm montanæ regionis diffugerunt.

B 4 Atque ij quoque qui circa Beruliam montoso in loco castra posuerant, in fugam conuersi sunt. tunc ergo bellicosissimi quique Israelitarum se in eos effuderunt.

5 Et misit Ozias Betomastham, Bebai, Chobai, Choram, atque in omnes fines Israeliticos, qui gestæ rei nuntium perferrent, vt ad eedem hostium cuncti prorumperent.

6 Eo igitur accepto nuntio Israelitæ vno animi impetu irruerunt in eos, & vsque ad Chobai ceciderunt. aduenerunt item & Hierosolymitani, atque ex tota montana regione, ad quos nuntius quoque rerum in castris hostiū gestarum peruenerat. præterea Galaaditæ & Galilæi, qui illos maxima plaga ultra Damascus ad vsque fines ipsius profligarunt.

7 Reliqui verò incolæ Berulæ castra Assyriorum inuaserunt, atque ex præda illorum magnas diuitias adepti sunt.

8 Reliquis potiti sunt Israelitæ è cede reuersi, vicique ac ciuitates tam montanæ quàm campestres magnam vim spoliū obtinuerunt, quorum ingens erat copia.

9 Venerunt autem Ioachim pontifex maximus & senatus Israelitarum Hierosolymis comorantium, confirmaturi beneficia quibus Deus Israelitas affecerat, tum etiam vt videret Iudith, eamque benignè salutarent.

10 Qui ad ipsam ingressi, vno animo gratulati sunt ei, ac dixerunt, Tu excellentia Hierosolymæ, tu ingens Israelis læticia, tu præclara generis nostri gloriatio.

11 Tu hæc omnia confecisti manu tua, iisque beneficijs Israelitas affecisti, ac Deus suo eos fauore prosequutus est. Benedicta sis apud Deum omnipotentem in æuum sempiternū.

12 Et subiecit vniuersus populus, Esto.

13 Ceterum populus castra diebus triginta deprædatus, tabernaculum Holophernis, & omne argentum, lectos, pelues, omnemque eius supellectilem Iudith dedit: quæ accepta illa mulæ suæ iunctisque plaustris congesta imposuit.

14 Tum concurrerunt videndæ eius causâ mulieres omnes Israelitæ, eamque collaudauerunt, atque vnà ei chorum statuerunt: ipsa verò thyrsos manibus acceptos, mulieribus quæ vnà secum aderant, distribuit.

15 Et imposita sibi sociæque suæ corona oleagina, choream vniuerso populo ducēs, omnibus mulieribus præibat. Viri verò Israelitæ omnes armati subsequerantur cum coronis, atque hymnis quos ore suo decantabant.

CAPVT XVI.

1 Laudat Deum Iudith. 22 Parua victoria venit omnis populus Ierusalem ad adorandum. 28 Iudith moritur.

EXorsa autem est Iudith hoc carmen gratulatorium inter omnes Israelitas: & vniuersus populus hanc laudem maximâ voce decantauit,

2 Dixitque Iudith, Ordimini Deo meo tympanis, Domino meo cymbalis canite, modulamini carmen ei, extollite laudem, & nomen eius inuocate.

3 Quoniam Deus est profligator bellorum, qui posuit in medio populi castra sua, & de manu persequentium me vindicauit.

5 Venit Assyrius è montibus, ab Aquilone venit cum copiarum suarum myriadibus: quarum multitudo torrentes interclusit, vallésque equitatus operuit.

6 Dixit se fines meos igni vastaturum, gladioque

- sublatum iuuenes meos, lactentes solo allifurum, praeda daturum infantes meos, & virgines meas direpturum.
- 7 Dominus omnipotens eos manu feminae frustratus est.
- 8 Neque enim iuuenum opera robustus occubuit, nec percusserunt eum filij Titanum, nec excelsi gigantes eum aggressi sunt: sed Iudith filia Merari pulchritudine vultus sui illi confecit.
- 9 Quum enim exuisset vestitum viduitatis suae, vt laborantes Israelitas extolleret,
- 10 Facie sua vnguento peruncta, & redimitis mitra capillis suis, stola linea, quam sumpsit, illum decepit.
- 11 Sandalium eius oculum hominis rapuit, & pulchritudo eius animum illius cepit: ceruicem ipsius penetrauit acinaces.
- 12 Perlae exhorruerunt audaciam eius, Mediq; eius confidentiam stupuerunt.
- 13 Tum iubilarunt humiles mei, & infirmi exclamauerunt: territque sunt illi, & sublato clamore in fugam conuersi.
- 14 Filij puellarum confoderunt illos, atque vt seruos fugitiuos vulnerauerunt, ac acie Domini Dei mei interierunt.
- 15 Carmen ac laudem cantabo Domino,
- 16 Magnus es Domine, & gloriosus, admirandus viribus atque inuictus.
- 17 Vniuersum tibi seruiat tuum opificiu, quoniam iussisti, & extitit: misisti Spiritum tuum, & prodiit: nec est qui resistat voci tuae.
- 18 Montes enim a fundamentis commouebuntur cum aquis, petraeque in modum cerae a conspectu tuo liquefcent: quum iis qui te timent sis propitius. Quoniam paruum apud te est omne quanuis gratum odore sacrificium, omnisque holocausti cremat adeps minimus.
- 19 Qui vero Dominum reueretur per omnia,

Gene. 1.
Psal. 32. b. 9

- magnus est.
- 20 Vae gentibus quae in genus meum insurgunt. Dominus eas vindicabit in die iudicij,
- 21 Vt immittat in corpora eorum ignem ac vermes, quorum perpetuo sensu lugeant.
- 22 Vt autem venerunt Hierosolymam, adorerunt Dominum, & lustrato populo, holocausta sua gratuitaque donaria ac munera obtulerunt.
- 23 Iudith vero omnem supellestem Holophernis, quam a populo sibi datam acceperat, dedicauit, & conopeum quod ipsa e cubiculo eius abstulerat, donarium Domino consecrauit.
- 24 Ac tribus quidem mensibus populus Hierosolymis coram sanctuario letitiam celebrauit, quibuscum Iudith ibi permansit.
- 25 Exactis autem illis diebus, ad suam quisque possessionem se recepit: Iudithque Beruliam reuersa, in bonis suis habitauit.
- 26 Fuit autem Iudith aetate sua per totam terram gloria illustris, multosque procos habuit.
- 27 Nullus vir tamen eam cognouit omni tempore vitae eius, ex quo Manasses vir eius mortuus, atque ad populum suum aggregatus est.
- 28 Ea igitur processit ad claritatem eximiam, donec in domo viri sui ad centesimum quintum annum aetatis peruenit: & manumissa ancilla sua, Betuliae obiit, ac sepulchro viri sui Manassis mandata est.
- 29 Luxitque eam domus Israel septem diebus. caeterum priusquam moreretur, bona sua distribuit iis qui Manassi viro suo sibi que genere proximi erant.
- 30 Non extitit autem in vita Iudith, nec post mortem quidem eius, multis temporibus, qui Israelitis terrorem vllum afferret.
- 31 Dies autem victoriae huius festiuitatis, ab Hebraeis in numero sanctorum dierum accipitur, & colitur a Iudeis ex illo tempore vsque in presentem diem.

2. Reg. 8. b

Gen. 50. b. 10

Liber Esther, Hebraice מנלה אסתר
volumen Esther.

Ex doctoribus Hebraeorum alter dicit Mardocheum fuisse huius historiae scriptorem: quod colligit ex eo quod capite nono huius libri, versu 20, scribitur his verbis: Scripsit itaque Mardocheus verba haec, &c. Quae autem hic gesta leguntur, acciderunt tempore captiuitatis, quando omnes Iudaei apud Persas, Medos, Assyrios, & Chaldaeos in exilio agebant.

NOVA EX HEBRAEO TRALATIO.

CAPVT I

1 Assuerus conuiuium parat principibus suis vt potentiam & gloria suam omnibus ostentet. 9 Vasthi regina fecit conuiuium feminarum in Domo regia Assueri. 11 Vasthi regina iussu Regis accersitur: & Vasthi pulchra. 12 Renuit venire. 22 Edictum Regis de imperio virorum in vxores.



1 Ccudit in diebus Anhasuerus (is est Anhasuerus qui regnabat ab India vsq; ad Aethiopiam super centum & viginti septem prouincias.)
2 In diebus inquam illis quum federet rex ipse Anhasuerus super solium regni sui quod erat in

uSusan regia:

- 3 Anno tertio ex quo regnare cepit, fecit conuiuium cunctis principibus suis, atque seruis suis: robur autem Persidis & Mediae, satrapae videlicet, & principes prouinciarum erant coram illo,
- 4 Tantisper dum ille ostentaret diuitias gloriae regni sui, & honorem decoris magnitudinis suae diebus multis, nempe centum octoginta diebus.
- 5 Quumq; impleti fuissent dies illi, fecit Rex vniuerso populo qui inueniebatur in uSusan regia, a maximo vsque ad minimum, fecit inquam conuiuium septem diebus, in atrio horti palatii Regis.

6 Aulaeum